



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

7. An confessarius emendatus sit à pœnitente denunciandus? Et an
Hæreticus emendatus sit denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. res. 23.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisitor. &c. Ref. VI. &c. 381.

reos nostri sacri Tribunalis esse ante præviam correctionem denunciandos; Et hos DD. ego plena manu adduxi in p. 1. r. 4. r. 2. quia denunciatio nostri sacri Tribunalis non intendit tantum emendationem fratris, quantum punitionem delicti. Et ideo hanc sententiam tenet post hæc scripta visus amicissimus, & doctissimus, dominus meus Transmura in r. de Corret. frat. post suum simul. fidei, seu de oblig. revelandi Hæreticos, in quo Tractato, me citato, fuisse, & solidè probat delicta in Edictis Dominorum Inquisitorum contenta esse sine præviam correctione Inquisitoribus revelanda, add illum, & non pigebit.

23. Hinc in omnium sententia refellenda venit opinio amicissimi, & docti viri Partis Lezana in summa 99. Reg. cap. 10. num. 34. asserentis, Confessarium sollicitantem de quo probabiliter speratur emendatio, non denunciandum esse ante præviam correctionem; refellenda inquam, venit hæc opinio: nam in his casibus, ut observat Granados in 2. 2. D. Thom. contr. 3. tract. 12. disp. 5. sect. 4. num. 33. non sufficit probabilitas, quia cum hac stare potest prudens timor, quod delictum perseverabit, & communitas graviter lædatur. Opus est igitur certissima, & firma existimatio ut loquitur D. Thom. in 2. 2. q. 33. art. 7. ita ut certò moraliter correctio speretur: sed ego quaero, ista firma, & certa existimatio, quando in his casibus sperari potest: ita ut quis non sit dubius futuri eventus? certe ferè nunquam; igitur omnia crimina in Edictis Dominorum Inquisitorum contenta ad illos referenda erunt, sine ulla præviam correctione fraterna: capiendæ sunt enim istæ vulpecule, ne demoliantur vineam; unde non approbo doctrinam novissimè editam apud Portel. in Respons. Mor. par. 2. casu 43. num. 7.

RESOL. VI.

An criminosi jam emendati sint vigore Edicti denunciandi?

Sed difficultas est de Hæretico formali, quia semper dubitari potest, an re vera sit emendatus?

Et quid de Confessario sollicitante in confessione in prædicto casu? Ex p. 1. r. 4. Ref. 3.

§. 1. Affirmativè respondeo cum Sanctarello in tr. de hæres. cap. 9. num. 11. Sanctio in selectis disp. 11. num. 52. Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 9. & punct. 2. num. 3. Azorio par. 1. lib. 8. cap. 19. quest. 9. Suarez tract. de fide, disp. 40. sect. 4. num. 13. Salonio 2. 2. q. 68. art. 1. de Edictis Superiorum, regul. 3. Rojas singul. 3. num. 33. Paramo de orig. Inquis. lib. 3. q. 8. n. 90. & aliis ex ratione supra allata: quia videlicet, denunciatio istorum tendit ad punitionem, & non ad correctionem.

2. Sed contrariam sententiam docet Sotus l. 3. q. 5. art. 5. Molfesius in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 24. n. 21. Genuensis in praxi cap. 18. n. 6. Naldus in summa, verb. Accusare, n. 1. Victorellus in Notis ad Manuale Navar. cap. 25. n. 33. Finellius tract. de cas. reserv. casu 2. n. 8. in fine Zanardus in director. Confessor. part. 3. c. 31. Rodericus Acugna, in tract. de Confess. sollicit. quest. 3. num. 15. & ibi Freitas n. 34. Megala in 1. part. lib. 1. cap. 5. num. 26. Portel. in addit. ad dubia regular. verb. sollicitare feminas, n. 18. ubi sic ait: Si femina sollicitata certò sciat, Confessorem esse penitentem, & moraliter intelligat, penitentiam illius de præterito esse veram; non tenebitur denunciare: quia finis denunciationis est emendatio proximi; cum verò femina intelligat, moraliter Confessorem esse emendatum, cessabit obligatio denunciationis; quia cessavit finis illius, qui erat emendatio proximi. Ita Portel. Idem docet Peirinus in pri-

vil. ordin. Minimor. tom. 2. Constit. 4. Gregor. XV. §. 6. num. 3. ita asserens: [Si mulieri sollicitata constet de emendatione sollicitantis, non tenebitur denunciare, quia, cum probaverimus, hoc peccatum fratrem, correctionem admittit, si hæc profuit, vel sine hac peccatum est emendatum, non est, cur ad denunciandum procedatur.] Ita ille.

3. Sed in hac sententia difficultas est cognoscere, quando quis teneatur emendatus, ut quis non teneatur secundum opinionem supradictorum DD. ex præcepto Edicti denunciare. Felinus in cap. testimonium de testib. Confessionem sacramentalem asserit, probare aliquem esse emendatum. Genuensis in praxi, cap. 18. num. 6. putat, quod possit præsumi emendatio, si talis consequutus fuisset Iubilæum. Homobonus de exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 7. quest. 33. Freitas in addit. ad tract. de Confess. sollicit. quest. 8. num. 32. Ricc. p. 2. decis. 259. num. 14. & alij asserunt, quod qui per triennium benè vixerit, emendatus præsumitur. Alij qui verò putent, id arbitrio boni viri remittendum esse, qui, considerata qualitate personarum, totum judicabit cum prudentia, & maturitate: quia difficile est cognoscere correctionem hujusmodi personarum. Et ita loquens etiam de Hæreticis notavit Freitas ubi supra q. 18. n. 39. in fine.

4. Limitat tamen hanc sententiam Fagundez tr. 2. sup. hoc ibi lib. 6. cap. 4. num. 17. & alij quoad Hæreticum formalem: quia semper dubitare possumus, an reverà sit emendatus: sunt enim Hæretici valde subdoli, & conceptam hæresim retinere non valent, quin alios doceant. Et hoc notavit specialiter locum habere in casu hæresis formalis: nam in aliis casibus criminosis emendati non sunt denunciandi, sicut supra corrigendos esse affirmavit.

5. Sed Genuensis in praxi, cap. 18. num. 6. qui citat Locatum, & Megalam in 1. p. lib. 1. cap. 5. num. 26. r. 1. ref. admittit supradictam limitationem, quoad Hæreticum, qui dogmatizando nocuisset Reipublicæ: nam in tali casu putant esse denunciandum, ut illi satisfaciatur: & sic etiam sentit Molfesius in summa, tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 21.

RESOL. VII.

An Confessarius emendatus sit à penitente denunciandus?

Et an Hæreticus emendatus sit denunciandus? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 23.

§. 1. Negativè respondet Soula de Confess. sollicit. tract. 2. cap. 6. concl. 4. num. 16. Lezana in sum. 99. Regular. cap. 19. num. 34. Acugna quest. 3. num. 15. Peyrinus tract. de privileg. Minim. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 9. num. 31. Castrus Palaus tract. 4. disput. 9. punct. 10. num. 1. & ideo Io. Sancius in selectis disp. 11. num. 15. asserit: Si multi sint anni elapsi post factam sollicitationem, & credatur verisimiliter emendatum jam esse Confessarium non erit depunitionandus, hoc enim pia conditio humana pati videtur, ut post longum tempus admitti criminis non deferatur ad punitionis Tribunal delinquens, sed præsumatur emendationem jam consequutam esse; tres verò annos exigit communis DD. ad emendationem præsumendam in criminoso. Hæc Sancius; & hanc sententiam à fortiori docebant DD. asserentes hæreticum emendatum non esse denunciandum, quorum nomina invenies in p. 1. tract. 4. resol. 3. ratio est, quia obligatio edictorum videtur cessare, posita emendatione Confessarii, sicut cessante causa cessat effectus, causa enim obligationis denunciandi hæc videtur esse, ut Confessarius emendetur,

Sup. hoc ibi dem.

dem §. Sed ego ref. seq. & in ref. præterita, §. Postea in fin. & infra ref. §. cursum à lin. 2. & in ref. §. Ad id paulo post init. & in r. 99. §. 2. à lin. 6. & verbi vide.

Quæ hic est Ref. antec. dens.

detur, & non amplius Confessionis sacramento abutatur, ergo, &c.

Ibi in §. Limitat. & sup. in Ref. §. 5. Postea, in fin. & inf. in Ref. §. 2. & in Ref. §. 6. Ad id paulo post init. & in to. 6. tr. 1. Ref. §. 2. & in fin. 6. & vers. Vide.

2. Sed ego quoad hæreticum contrariam sententiam tenui, & illam etiam quoad Confessarios solicitantes tenet Martinus Bonacina in tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 9. tum quia summi Pontifices absolute in suis Bullis præceperunt denuntiari Confessarios tentantes sollicitate poenitentes ad turpes actus, tum quia denunciatio & Inquisitio contra hujusmodi delinquentes judicialiter fieri debet, nec solum instituitur ad emendationem delinquentis, sed etiam ad poenam, ut tam ipse, quam ceteri metu poenæ in tali crimine in futurum retrahantur, ex quibus patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Ita Bonacina.

3. Nota, verò quid si aliquis staret in prima sententia, tunc dicendum est Confessarium esse emendatum, si eadem sollicitata mulier ter, vel quater ad ipsum accitens non iterum in eo libidinosum animum & libidinis signa reperiat. Ita Souza ubi supra.

RESOL. VIII.

An dubius de emendatione alicujus rei in Edicto Inquisitorum positi, & præsertim Hæretici, teneatur illum denunciare?

Et quid, si moraliter constet esse emendatum? Ex p. 4. tr. 3. Refol. 61.

Sup. hoc sup. in Ref. §. 5. Postea in fin. & in Ref. §. 5. Limitat. & in Ref. 7. §. Sed ego, & inf. in Ref. 68. §. Ad id & in to. 6. tr. 1. Ref. §. 2. & in fin. 6. & vers. Vide.

§. 1. Non solum in tali casu, sed etiam si moraliter constet esse emendatum, puto denuntiandum esse, & præter Doctores quos alibi citavi, novissimè tenet hanc opinionem Emanuel Mouta opusc. 1. de incant. & ensalm. sect. 2. cap. 16. n. 13. ubi sic asserit: Quamvis mihi privato moraliter constet hæreticum occultum esse emendatum, urgeatque aliqui præceptum divinum de non infamando proximum absque necessitate, etiam coram Ecclesiæ ministris, teneor, eum deferre ad sacrum Tribunal, & juxta omnes in dubio de ejus emendatione, quia decernere an sit, vel non sit emendatus, judicium exigit altius, quam privati. Ita ille.

RESOL. IX.

An filius teneatur denunciare patrem hæreticum, Idem est dicendum de uxore, marito, fratre. Ex p. 1. tr. 4. Refol. 4.

Sup. hoc in rom. 8. tr. 5. Ref. 41. §. Sed cursum prop. fin. & in Ref. 2. not. seq.

§. 1. Prima opinio negat. Ita Alexander de Ales p. 3. quest. 23. memb. 4. dicit. 2. dub. ult. Rojas sing. 12. num. 2. & ita intellige eundem sing. 5. n. 29. Idem docuit novissimè Ricc. part. 3. dec. 278. num. 8. & vir doctus Ioan. Valer. in differ. utriusque fori, verb. hæresis, differ. 1. num. 4. ubi sic asserit: [Septimò, fallit in filio contra patrem, maxime si pater non inducebat filium ad hæresim. Idem videtur dicendum de uxore, marito, & fratre: sed contrarium in his tenet Rojas, quod verius credo, quoad fratrem.] Ita ille.

Sup. his in Ref. seq. & superius in tr. 1. Ref. 162. §. 1. ante med. vers. Nisi in casu hæresis.

2. Secunda opinio, quam ego sequor, affirmat, & docet, filium teneri ad denunciandum patrem hæreticum: & ita præter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. de hæresi, q. 197. §. 2. n. 40. tenet hanc sententiam Suarez tr. de fide, disp. 20. sect. 4. n. 21. Azor. p. 2. lib. 2. cap. 1. q. 13. Comitoli in resp. moral. lib. 4. q. 8. num. 3. Sanctarell. in tract. de hæresi, c. 9. n. 15. Bonac. in tract. var. disp. 6. punct. 2. n. 3. Portel. in dubiis regular. tom. 1. verb. correctio fratrum, n. 11. Bonac. de cens. disp. 2. q. 6. punct. 5. num. 1. Lopez in instrum. p. 1. c. 54.

3. Tertia opinio est media inter supradictas, ut docet Simanchas lib. de Cathol. instit. tit. 29. num. 4.

& Genuensis in praxi, cap. 18. num. 9. & idè putat, tunc filium debere denunciare patrem Hæreticum, quando hæresis patris tendit in perniciem publicam, ut si pater dogmatizaret, & filium, alioque doceret, vel, quando filius interrogaretur à Iudice, tanquam testis. At in hoc secundo casu putat Genuensis, non esse filios cogendos, si alij testes haberi possunt: cum enim sint personæ privilegiatæ, in subsidium tantum cogendos esse constat. Et ita in Curia Archiepisc. Neapolitana practicum esse testatur: non enim coegerunt quendam filium adversus patrem Hæreticum: & ita docet Filliuc. tom. 2. tract. 40. cap. 8. num. 233.

RESOL. X.

An uxor, & frater teneatur denunciare maritum, & fratrem hæreticum? Ex part. 1. tr. 4. Ref. 5.

§. 1. De uxore affirmativè respondeo cum Pegna ubi in direct. Inquis. p. 3. n. 111. comment. 160. & Freytag in addit. ad tract. de Confess. sollicit. q. 19. num. 16.

2. Sed contrarium videtur docere Didacus Cante- ra in quest. crim. rubr. de Hæretici, vers. ex qua quidem glossa, & post illum Ricc. part. 3. dec. 279. num. 8. & Ioan. Valer. in differ. utriusque fori, verb. hæresis, n. 4. hi enim, cum adducerent Rojas asserentem, uxorem, maritum, & fratrem teneri ad denunciandum, sequuntur illum quoad fratrem tantum.

3. Verum est etiam, quod hanc opinionem de obligatione fratris, ad denunciandum fratrem, vocant ipsi tantum viorem: ergo, secundum illos, contraria sententia videtur probabilis. Sed hoc ego non aucto dicere: & contrarium docco cum Sanctarell. in tr. de hæresi, c. 9. n. 15. & aliis Et hæc dicta sunt in ordine ad denunciationem in casu hæresis formalis.

RESOL. XI.

An uxor, filius, & frater teneatur denunciare maritum, patrem, & fratrem perpetrantes crimina extra hæresim formalem? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 6.

§. 1. Dicam, quid sentiunt alij. Lazar. tract. de Sup. blasphemias, q. 12. n. 67. sic asserit: [Uxor non tenetur denunciare maritum in blasphemias hæreticas, les protrumpere solitum, vel etiam hæreticalia committere, ubi is sit homo furibundus, & facile postea dedit eam malè tractare. Quinimò, etiam sublatò dicto timore, si non revelat, videtur excusanda ob arctissimam conjunctionem, quæ est inter eam, & virum.] Sic ille.

2. Sed magis ample loquitur Homobon. tr. de casu reserv. p. 2. c. 1. fol. mibi 241. [Aliqui asserunt, ait ille, filium teneri deferre patrem hæreticales blasphemias proferentem; fratrem pariter teneri denunciare alterum fratrem, & uxorem virum, cum hoc crimen melius per domesticos, quam per alios probari possit. Hanc tamen sententiam in praxi non facile sequendam arbitror, tum quia cognati, excepto hæresis crimine, ad hoc à jure non coguntur, tum etiam, quia pater, & filius, maritus, & uxor, & fratres inter se censentur una, & eadem persona, & juri naturali repugnat se ipsum prodere.] Sic Homobon: quod etiam docuit in exam. Eccl. p. 1. tr. 7. c. 7. q. 32. At his non obstantibus, attenta praxi, contrarium dicendum videtur.

RESO